

Cod. de Episcop. & Cleric. aut. h. habita Cod. ne filius pro patre & c. aut. Sacramenta puberum Cod. §. adversus vendit. Aliæ sunt authentice JCI Ineritii, ex Novellis per modum extractus de-
187 scriptæ. Illæ igitur sunt authentice, ut-
pote autoritate publicâ confectæ, & perinde,
ac cæteræ Leges Codicis, usi receptæ: istæ non
aliter, nisi quatenus suo fonti seu Novellis, ex
quibus fuerunt extractæ, correspondent: nec
enim autoritate publicâ, nec usu & posses-
sione temporis quietâ gaudent. Miller ad
Struv. exercit. ad pand. 1. th. 68. lit. 1.

186 Inquires III. quid dicendum de rubricis vel
inscriptionibus titulorum, aut summaris tex-
tuum?

187 Idem, quod supra de libris Juris Canonici
dictum est à num. 88. Et quamvis
Stryck in nos. ad compend. Lauterbachii pag. m. 6.
rubricas Novellarum excipiat, tanquam au-
thoritate privatâ Ineritii vel alterius JCI
Novellis essent præmissæ: nihilominus, cum
simul cum Novellis earum rubricæ, citra ali-
cujus contraditionem, fuerint receptæ, paris
cum Novellis valoris esse censentur.

188 Inquires IV. deturæ in libris Juris Civilis
antinomia, contrarietas, vel correctio?

189 I. in uno eodemque Libro antinomia,
contrarietas, vel contraditionem nulla-
tenus admittendam esse, ne Legislator uno
quasi tempore sibi contradixisse videatur,
quemadmodum indicavit Justinianus in l. Deo
ambore 1. §. 8. l. causa 2. §. 15. Cod. de V. F. E.

189 Si tamen correctio manifesta sit, qualis reperit
in 50. decisionibus, Codici hinc inde in-
sertis, ex mente & sententia ipsius Imperatoris
in sua constit. de Emendando Cod. §. 1. ad-
mittitur correctio quoad Leges, in eodem
volumine contentas. Ita cum communissi-
ma sententia contra Giphanium & Ludwell
docet Clariff. D. Bassus p. m. in præfat. ad 50.

190 Sicut autem hæc decisionibus novissimæ Justiniani constitutiones,
quibus antiquorum JCI controvērsias
decidit per textum in §. libertinorum 3. Instit. de
libert. subsuntque ex eo dignosci, quod lætæ
sint sub Consulatu Decii, Lampadii, & Orestis,
vel duobus annis post eorum Consulatum,
videlicet Anno 530. 531. 532. cum inscri-
ptione ad Joannem vel Julianum PP. quodve
de Veterum dubio mentionem apertam faci-
ant. Clariff. D. Bassus cit. l. n. 3. 4. & 5.

191 II. non tantum Novellas Codici & Pan-
dectis, sed etiam Codicem Pandectis deroga-
re juxta textum in Constit. de Emendat. Cod. §. 1.
& seqq. Zoëll. in præf. Digestor. n. 8. Mathias
Stephani in præf. ad Novell. num. 20. Clariff.
D. Bassus cit. l. n. 8. Clariff. D. Joannes Sigis-
mundus Stapf Quest. ex univ. Jure 1. num. 11.

192 Quamquam enim Codex Justinianus ante
pandectas fuerit compactus; Codex tamen
repetitæ prælectionis posteriori tempore con-

cinnatus est: unde, quod dicitur in l. ult. ff.
de Constitur. Princip. posteriora derogare prio-
ribus; etiam hic valorem sortitur.

III. de Institutionibus esse litigium, 193
utrum pandectis derogent? Id tamen sub dis-
tinctione componi posse, quod nempe non
derogent, quatenus sunt compendium Juris
& extractus pandectarum (nam planè abso-
lutum foret, ut rivus à fonte suo degeneret,
aut extractus protocollo contradicatur) sed, 194
quatenus sunt compendium & extractus Codicis:
sic enim eandem derogandi vim ad-
piscuntur, quæ ipsi pandectis inest. Confer.
Clariff. D. Stapf cit. quest. 1. à n. 9.

Inquires V. num Libri Juris Civilis & Ca-
195 nonici sibi invicem derogent?

196 I. in materia spirituali, peccaminosa, &
conscientiam tangente, Jus Canonicum de-
rogare & prævalere Civili. Ratio con-
cludens est: quia in ista materia Jus Civile
nequit imperare vel Legem statuere: nam &
Suprema Potestas Civilis subest Spirituali cap.
Eum ad verum 6. Dist. 96. cap. sollicita 6. de M.
& O. Extravag. unam sanctam ead. inter commun.
& ut loquitur Pontifex in cap. cum Ecclesia 10.
de Constit. laicæ Jurisdictioni non competit
Potestas imperandi sed necessitas obsequendi:
consequenter Libri Civiles Canonicis & c. ce-
dere tenentur. Casus particulares, in quibus
Civile Jus correctum est à Canonico, in
decursu præsentis Operis notabuntur.

II. in materia profana vel adiphora-
197 unum Jus cum altero combinandum, & Jus
Civile dubium à Canonico claro, & vicissim
Jus Canonicum obscurum à Civili luculento
declarandum esse juxta famosum cap. intellexi-
mus 1. de N. O. N. Si tamen Jus utrum-
198 que probabili quâdam ratione conciliari ne-
queat, quodlibet in suo foro servatur, sicut
cujuslibet Jurisdictioni in tali materia ad forum
proprium est restricta. Ita passim Canonice
& Civiliter Catholicis.

Inquires VI. quis modus in citando Jure 199
Civili sit usitatus?

199 In Institutionibus citari §. vum & titulum,
aut principium v. g. pr. Inst. de f. & f. §. 9. Inst.
de f. N. G. & C. in Pandectis & Codice citari
legem & titulum v. g. l. 1. ff. de LL. l. 1. Cod.
de SS. Eccles. in Novellis citari Novellam & cap.
aut §. vum v. g. Nov. 115. cap. 3. §. 1. in
feudis à Recentioribus citari librum & titu-
lum cum §. v. g. tit. 58. §. 1. feud. 2. In-
200 terim quoad citationes Institutionum, Pan-
dectarum & Codicis, uti & Juris Canonici, hu-
cunque non tantum numerum legis, vel ca-
pituli, sed etiam initialia verba citare consue-
vi v. g. cap. antigonus 1. de Pall. l. non omnium 20.
ff. de Legib. ut nempe tum memoria juretur
in retinendis textibus; tum etiam errores,
qui sæpenumerò sunt in citationibus,
emendantur.

CAPUT II.

De Objecto Jurisprudentiæ Canonico-Civilis.

Commune Philosophorum estatum est, habitus ab objecto, circa quod occu-
pantur, speciem & naturam emutare. Unde ut Jurisprudentiæ nostræ spes-
cies & natura ad vivum, ut ajunt, depingatur, oculos in illius objectum in
præfenti capite figemus; justitiam tamen, tanquam objectum formale, penitus con-
templaturi.

SECTIO I.

De Justitia in genere.

SUMMARIUM.

1. Justitia etymon. 2. & 3. Homonymia. 4. Est virtus. 5. Moralit. 6. Ad alterum di-
recta. 7. Ad jus suum cuique tribuendam. 8. Est voluntas casualiter. 9. Constant & perpetua. 10. & seqq. Jus suum. 15. Cuique tribuendi. 16. Justitia communiter est quadruplex. 17. & seqq. Argumenta præferuntur contra definitionem justitiæ, tanquam non univocam. 23. & seqq. Alia definitio suggeritur, & impugnatur. 26. & seqq. Nova definitio præfertur, & sub incudem vocatur. 31. Justitia requirit alteritatem personarum. 32. & seqq. Ostenditur, quâ ratione non deat justitia inter patrem & filium, dominum & servum & c. 37. An deat justitia inter DEUM & hominem? Remittitur. 38. & seqq. Recensentur effectus justitiæ. 41. & seqq. Sola justitia vindicativa fundat obligationem restrictionis.

§. I.

Quid sit Justitia?

1. Justitia, vel ab eo, quod vim sistat, dicta, vel
potius ab eo, quod jus alteri sistat, appel-
lata, subinde capitur genericè; nonnunquam
2. specificè. Genericè capitur, quando virtutes cæteras complectitur, ac ille, qui suas
actiones cum præceptis Divinis & humanis
conformat, justus nuncupatur: quæ signifi-
3. catio SS. paginis est utilissima. Specificè
capitur, quando virtutem specialem, quâ in-
clinatur ad jus suum cuique tribuendum,
denotat: quæ significatio nobis est accom-
moda.
4. Itaque justitia, specificè sumpta, est I. virtus
specialis: eum enim virtus sit habitus, in-
clinans ad rectitudinem seu conformitatem
cum natura intellectuali, justitia, quæ in-
clinat ad rectitudinem & conformitatem juris
cuique tribuendi, naturæ intellectuali & so-
ciali maximè conformem, justissimè choro
virtutum adscriptur. Illustriff. D. Augustini
Reding Theol. Scholast. to. 12. q. 1. art. 1.
cont. 1. n. 3.
5. II. Justitia est virtus moralis. Nam justitia
moveret voluntatem ritè exercendas. Atque
virtus ejusmodi dicitur esse moralis. Ergo & c.
D. Reding cit. l. n. 3. & 5.
6. III. Justitia est virtus ad alterum. Siqui-
dem non sistit in sola operantis perfectione,
sicuti v. g. temperantia vel fortitudo; sed
eundem in ordine ad alios, in humana socie-
tate conviventes, perficere satagit, sicuti
v. g. pietas, & obedientia. D. Gletle Juris-
prudēt. fundam. lib. 1. tit. 1. cap. 5. §. 1. n. 3.
Definitionem justitiæ Justinianus Imperator
7. in pr. Inst. de f. & f. & Illipianus JCIus in
l. justitia 10. in pr. ff. eod. sic efformant, quod
sit constans & perpetua voluntas jus suum
cuique tribuendi. Consentit Aristoteles cum
Philosophis, & D. Thomas cum Theologis,
ut meminit Illustriff. Reding cit. l. n. 1.
Dixi I. constans & perpetua voluntas. Ubi
8. præcipuis notandum, voluntatem hic non
accipi formaliter, quasi scilicet ipsamet justitia
esset voluntas identicè; sed casualiter, qua-
tenus actus justitiæ imperantur à voluntate;
vel quatenus justitia voluntatem inclinat ad
tribuendum cuique, quod suum est. Reding
cit. l. n. 2. Clariff. P. Mezger Theol. Scholast.
to. 11. disp. 23. art. 1. n. 2. Deinde ob-
9. servandum, voluntatem hanc firmam & per-
petuam esse debere, non subjective & effecti-
vè, sed affectivè & objectivè, conjunctam
nempe cum efficaci proposito, cuilibet sem-
per præstandi, quod debitum est. P. Mezger
cit. num.
Dixi II. jus suum. Quæ verba tanquam
10. differentialia, & objecti formalis justitiæ ex-
pressiva, distinguunt justitiam tum ab aliis
virtutibus, quæ non tendunt ad alterum, aut
jus alienum adæquare vel compensare satagunt;
tum à virtutibus, ad alium ordinatis, quæ
quidem respiciunt jus alienum, fed non
tanquam suum, ac pro libitu creditoris abdi-
cabile.

- 11 cabile. Sic enim Religio cultum, Supremo Numini debitum, exhibere cupit; ita tamen, ut Divinum Numen, aliis omnipotens, nequeat cultum hunc creaturæ condonare.
- 12 Sic pietas filii respectu patris exigit obsequia quæcumque, absque eo quod pater illa remittere, vel, si remiserit, filius intermittere.
- 13 queat. Sic obedientia Superioribus dicitur partitionem & reverentiam; nec tamen Superior cum inferiore dispensare valet, ut à vinculo partitionis & reverentiæ sit immunis.
- 14 At justitia respicit tale jus, quod creditor in gratiam debitoris cedere, cumque ab obligatione sua potest absolvere. Consulatur P. Lessius de J. & J. lib. 2. cap. 1. n. 5. P. Giba-

linus scientia Canon. lib. 3. cap. 2. n. 16. Gletle Jurisprud. fundam. cit. l. n. 4.

Dixi III. cuique tribuendū. Cùm enim, ut aliquoties dictum, justitia præcipue laboret, hominem in ordine ad proximum instruere & dirigere, eò debet conitari, ut non tantum uni vel alteri, sed omnibus omnino, five Superioribus, five inferioribus, five æquales fuerint, reddatur, quod debitum & justum est. Quæ ratio fuit, ut vulgò quatuor justitiæ species (de quibus in Sect. 2.) statuerentur: nimirum justitia legalis, quæ communitati; distributiva & vindicativa, quæ à communitate membrorum particularibus; commutativa, quæ parti à parte, redditur vel exhibetur, quod debetur.

§. II.

Deiuræ conceptus univocus justitiæ quoad omnes species?

- 17 Justitia, paucis abhinc locis definita, multis tam singularis apparet, ut species, sub illa concepta, non possint univocè prælibatam definitionem participare. Vel enim, ajunt, jus, velut objectum justitiæ, sumimus propriè & æqualiter, quatenus ex dicendis in 10. 2. tract. de Jure propriis. est facultas, habendi alios obligatos in suum commodum & arbitrium; vel impropriè & inæqualiter? Si prius; sola justitia, quam nominamus commutativam, hoc nomen sibi propriè vindicabit. Nam jus proprietatis (quod alii rigorosum aut activum nuncupant) supponit ex parte creditoris facultatem liberam & absolutè credibilem; ex parte debitoris econtrâ necessitatem absolutam, ut, si ille urgeat, iste per remedia judicialia compelli possit ad faciendum aut omitendum, ad quod tenetur. A qui talis facultas datur ex parte solius creditoris, qui debitorem ex justitiâ commutativâ tenet obstrictum, uti postea videbimus.
- 20 Ergo &c. Si posterius; consequitur, justitiâ à reliquis virtutibus, ad alterum ordinatis, specificè non differre: nam & ipsæ supponunt aliquid jus impropriè tale, quod utique discrimen essentielle inter virtutem unam 21 aut alteram ponere non potest. Præterea jus, quod tribuitur v. g. in justitiâ legali vel distributivâ, non tam alteri, quam sibi ipsi tribuitur: cùm enim justitiâ legalis & distributivâ tunderentur in nexu politico partis ad totum, & inferioris ad Superiorem; utique non supponunt distinctionè adæquatam inter partes & totum, sed inadæquatam, quatenus ex pluribus personis, inter se politicè coadunatis, resultat communitas. Sanè qui debitum suum Reipublicæ vel parti quæ tali præstat, & actiones suas in illius emolumentum dirigit, per consequentiam & indispensabilem quasi connexionem in utilitatem & commodum proprium operatur. Ergo justitiâ legalis & distributivâ de substantiâ memoratæ definitionis ex æquò non communicant.
- 23 Alii definitionem aliam & omnibus justitiæ speciebus univocè communem adornant,

quod sit virtus, ad id ordinata, ut debitum cum jure alterius adæquetur. Verùm & ista definitio multum impugnat à citato D. Gletle num. 8. præsertim autem ex eo fundamenta 24 to, quod ipsa quoque justitiâ commutativa (ne dicam legalis) adæquationem debiti cum jure alterius non semper intendat, ut contingit tum quando debitor solvit creditori partem debiti; quo in casu justitiâ exercet, tamen jus creditoris non adæquet: tum etiam quando quis alterum non impedit in exercitio domini vel alterius juris, quæ in hypothesi exercetur actus justitiæ, nec tamen jus unius adæquatur, utpotè cùm obligatio per hoc non absumatur. Plura videre 25 licet apud cit. D. Gletle; quibus tamen non immoror, sed breviter dicendum opinor, quod, sicuti jus in prima definitione non convenit univocè singulis justitiæ speciebus, sic etiam debitum: jus enim propriè & activè sumptum per modum correlativi necessariò petit jus passivum seu debitum, dum hoc ipsò, quod unus habeat jus agendi & exigendi, alter habet obligationem patiendi & reddendi: adeoque quod prædicatur aut dicitur de uno ex correlativis, prædicatur & dicitur etiam de altero.

P. Haunoldus de J. & J. to. 1. tr. 2. n. 7. ut 26 includeret omnes species justitiæ, excogitavit definitionem novam, quod justitiâ sit virtus ad alterum, cujus actiones, ex obligatione factæ, nunquam generant in altero obligationem gratiarum actionis vel gratitudinis. Sed, si rectè sentiam, hæc definitio nequidem 27 ipsam justitiæ quidditatem exprimit. Sunt enim virtutes aliæ, ad alterum relatæ, quarum actiones, ex obligatione positæ, nunquam generant in altero obligationem gratitudinis. Enimverò si quis ex virtute re 28 ligionis eximium DEO ter Opt. Max. cultum & honorem exhibeat, non exercet actum justitiæ, & tamen in DEO nulla gratitudinis obligatio nascitur, quia nunquam exhauritur vel adæquatur debitum infinitum, quod habeat creatura erga creatorem. Similiter si 29 filius ex virtute pietatis patri deserat omnia,

quæ

- quæ potest, obsequia, pater non contrahit obligationem gratitudinis, quia titulus generationis, & fundatum in eo jus obsequiorum, ad amissum adæquari nequit, juxta commune proverbium: parentibus & Magistris nunquam satis.
- 30 Faciebimur itaque cum Magnifico D. P. Pet-

schacher locò inferius citandò, definitionè justitiæ, generatim acceptæ, tam exactam pro singulis ejus speciebus efformari non posse, ut argumentis contrariis fortiter non impugnetur. Superior autem & legalis definitio in n. 7. videtur soli justitiæ commutativæ propria, in seq. seq. juris ad incudem revocanda.

§. III.

Quas inter personas detur Justitiæ?

- 31 Veram & strictè dictam Justitiâ inter personas non tantum physicè sed moraliter quoque distinctas intercedere, pervium ex antecedentibus evadit. Siquidem, cùm virtus dicatur ad alterum, oportet adesse duas personas, tam quoad naturam, quam quoad censuram juris, inter se distinctas, quarum una sustineat vicem creditoris, altera vicem debitoris.
- 32 Inferunt ex hoc DD. agminatim, non dari justitiâ propriè dictam filium inter & patrem; inter dominum & servum; inter maritum & uxorem. Nam filius est pars & portio patris, nec minùs patri, quam res alia suo domino fructificat. Servus est instrumentum domini, & pariter eidem quoad performam & jura subiectus, quam res aliæ, ratione carentes. Uxor & maritus quoad officium conjugale sunt una caro; quoad officia verò domestica & regimen oeconomicum uxor à marito, tanquam capite, dependet.
- 33 At ego cum grano salis positam illationem accipi debere, existimo. Nam, ut incipiam à patre & filio, manifestè constat, & patrem respectu filii, & filium respectu patris injustitiâ committere posse, si nempe filius patri ex illius substantia vel pater filio ex pecullo castrensi vel quasi aliquid auferat, aut peculii adventitii proprietatem reddat deteriorem: cur non ergo justitiâ possit inter filium & patrem intercedere? Servus utique rem domini vel omnino surripere, vel corrumpere, aut destrucere potest, cum injuriâ & injustitiâ; dominus quoque servum injustè potest lædere tum in vita aut membris, tum in honore & fama, tum infortunitis, si peculium aliquod eidem

pleno jure conferat. Conjuges non tantum; habere jus ad petendum debitum, sed etiam distincta bona, in proparulo est: quomobrem, si durante Matrimonio unus alteri quidpiam intvertat, non quidem actionem furti (ut salvetur honor conjugii) sed actionem rerum amotarum Jus Civile concessit.

Sensus igitur præcedentis illationis non est, 36 alius, quam justitiâ non consurgere inter personas enumeratas, quando ponuntur actiones, quæ debentur v. g. patri ex titulo activitatis; domino ex titulo servitutis; marito ex titulo gubernationis & potestatis oeconomicæ: non enim ex jure stricto & rigoso, quale genuina desiderat justitiâ, ejusmodi actiones imperantur aut exercentur. Conferatur Illustriss. D. Reding Theol. Scholast. cit. to. 12. q. 1. contr. 2. per tot. Clariss. P. Mezger Theol. Scholast. cit. tr. 11. disp. 25. art. 4. per tot. Haunold. cit. tr. 2. à n. 75.

Deiuræ justitiâ DEUM inter & hominem; 37 Libentius disputant Theologi, quam Juristæ. Sufficit tamen, obligationem nostram, quam erga DEUM profitemur, majorem & strictiorem esse, quam obligationem justitiæ vel alterius virtutis; quemadmodum & promissio, quam ex mera clementia in SS. paginis Divina Bonitas sæpius interpuluit, tam firma & efficax est, ut neque fallere possit, neque falli. Unde D. Anselmus noster in suo prologo cap. 10. sapientissimè proloquitur: *Justus es Domine, non quia nobis reddidisti debitum, sed quia facis, quod decet te Summum Bonum.* Conferatur Magnif. D. P. Petschacher in Opus. de Jure in Communi & in Specie append. 2. q. un. art. 3. per tot.

§. IV.

Quisnam effectus sit Justitiæ?

- 38 Effectus Justitiæ considerari potest vel in obligatione, vel in petitione, vel in redditione. Obligatio respicit debitorem, qui debitum suum legitimò tempore, locò, & modò, juxta præscriptos limites, explere tenetur. Petitio respicit creditorem, qui petere valet à debitore, ut, quod suum sibi-que debitem est, præfixò tempore, locò, & modò consequatur. Redditio seu executio debiti, quæ est actus & exercitium justitiæ, respicit tam creditorem, quam debitorem, quatenus illius petitionem sufflaminat, & hujus obligationem extinguit.
- 41 Quodsi debitor obligationi suæ non satisfaciat, committit injustitiâ, quam vulgò dicimus injuriam: peccat enim in jus alterius, dum jus creditoris violat. Less. de J. & J. lib. 2. cap. 7. num. 4. Haunold cit. tr. 2. cap. 2. num. 112. Quin etiam ad restitutionem 43 tenetur, qui damnnum alteri per violationem juris intulit; non quidem in omni justitiâ, sed, ut verissima tenet opinio, in justitiâ commutativa. Less. cit. l. cap. 1. n. ult. Gibalin. Scient. Canon. lib. 3. cap. 1. n. 24. & 2. segg. Nam 43 quia per solam justitiâ commutativâ læsionem læditur jus alterius strictum & rigorosum, ex sola justitiâ commutativâ læsione confurgit obligatio reparandi, quod læsum est.

C

SECTIO

SECTIO II. De speciebus Justitiæ.

SUMMARIA.

44. Describitur Justitia legalis. 45. & seqq. Est Virtus specialis. 48. Non tamen perfecta Justitia species. 49. & seqq. Ponitur & prosterminatur in facultate de dominio particulari. 52. Justitia legalis cernitur in superioribus & inferioribus. 53. Dirigit actiones in bonum publicum. 54. Describitur Justitia Distributiva. 55. Est specialis Virtus. 56. Residens penes Communitatem. 57. & seqq. Habet pro objecto bona, non autem onera, communia. 59. Exercetur in membris Republicæ. 60. Non in extraneis. 61. Fundatur in debito. 62. & seqq. Quod tamen non est rigorosum. 65. & seqq. Discriminant alii justitiam distributivam & commutativam per diversam proportionem. 68.

§. I.

De Justitia Legali.

44. Inter species justitiæ numeratur I. *Legalis*, quam omnium virtutum præstantissimam esse, pronuntiat Aristoteles; cuique, teste Eminentissimo nostro Cardinale Aguirre *Philos. mor. p. 1. l. 5. cap. 1. n. 19.* multi Ethnicorum, tanquam Numini, aras erigere, & sub Altare seu Themidis nomine sacrificia offerre non dubitaverunt. Est autem hæc justitia virtus, inclinans partes communitatis ad actiones, in bonum communitatis dirigendas.

45. Dixi I. *virtus*. Sed qualis? An specialis; an mera virtutum aliarum complexio? Ajo, specialem esse, cum *cit. Letho num. 11. Aguirre d. l. n. 24. Reding de F. & F. 10. 12. q. 1. art. 1. contr. 2. n. 4. Gibalino cit. l. num. 20. Magnif. P. Pettichacher in cit. opusculo de Fure Communi & in specie append. 2. q. un. art. 2. §. 1. concl. 1. Clarif. P. Mezger Theol. Scholasticæ.*

46. Ratio est: quia non parva sed magna pluribus est difficultas, neglecto privato, quod tam impense quaeritur, commodò, per actiones suas publicum & commune bonum intendere. Cum ergo habitus virtuosus, tam intellectuales quam morales, toties, quoties emergit nova difficultas, multiplicentur: justitia legalis erit specialis virtus. Confirmatur: quia novum objectum formale, quod ab alia virtute primario non intenditur, novam haud dubie virtutem constituit. Atqui bonum commune, quod intendit primario justitia legalis, est novum objectum formale, à nulla virtute alia quaesitum. Ergo novam virtutem constituit. Adeoque si quis omnibus effulgeat virtutibus, illas tamen in felicitatem communem non referat, est quidem virtuosus, sed non justus legaliter.

48. An justitia legalis sit perfecta justitia? Non amplius quaerere, sed resolutionem negativam ex *num. 21. & seqq.* colligere licebit: quia scilicet justitia legalis neque supponit perfe-

& seqq. Rejicitur ab aliis discrimen boni. 71. Panditur nostra mens. 72. & seqq. Ex Violatione hujus justitiæ per se non oritur obligatio restitutionis. 74. Sed per accidens. 75. Describitur Justitia vindicativa. 76. & seqq. Est Virtus distincta. 78. & seqq. Sed imperfecta justitia. 80. Reperitur in superioribus. 81. Intendit aequalitatem inter penam & culpam. 82. Attendit proportionem arithmeticam. 83. Describitur justitia commutativa. 84. Est singularis Virtus. 85. & seqq. Communis omnibus partibus. 87. Supponit jus rigorosum. 88. Idque tribuit cuique. 89. & seqq. Obligat ad restitutionem.

ctam jurium aut personarum alteritatem; neque jus, quod habet ad actiones civium, est in arbitrio & libera voluntate communitatis. P. Pettichacher *cit. l. concl. 2.*

Neque dicas: qui obligatus est alteri propter dominium particulare ex justitia commutativa, justitiam perfectam exercet, quando id facit, ad quod dominium alterius se extendit. Ergo etiam, qui obligatus est communitati propter dominium altum & universale ex justitia legali, perfectam justitiam exercet, quando in bonum commune id agit, ad quod dominium communitatis se extendit.

3. negandò consequentiam & paritatem. 50. Disparitas est: quia in casu priori est perfecta jurium & personarum aequalitas una cum libera voluntate creditoris; non item in posteriori, ut dictum in *num. 48.* Adde, quod si dominium altum & universale non sit ejusdem rationis & generis cum dominio particulari: si quidem illud reipsa nihil est aliud, quam Jurisdicção gubernativa, quæ principaliter attendit bonum publicum; hoc autem est verum jus proprietatis, quod principaliter bonum privatum considerat.

Dixi II. *inclinans partes communitatis.* Ubi 2. per partes non tantum intelligo subditos, eum membra Republicæ minus principalia, sed etiam Superiores & gubernatores, tanquam capita & membra principalia: nemo siquidem magis curare debet bonum commune, ac qui curam ipsius communitatis habet. P. Rosmer *de F. & F. n. 3.*

Dixi III. *ad altitatem in bonum communitatis dirigendam.* Quæ verba nativam justitiæ legalis faciem describunt, eamque discernunt à cæteris justitiæ speciebus, quæ ex fine primario actiones in bonum communitatis dirigere non allaborant. Videntur celebratissimi Sant-Gallenenses *Christi Theol. 10. §. 11. 4. concl. 1. §. II.*

§. II.

De Justitia Distributiva.

44. Inter species Justitiæ II. recensetur *Distributiva*, nomen à distribuenda sortita. Huic Chrysoippus apud Eminentiss. Card. Aguirre *Phil. mor. cit. l. cap. 2. n. 11.* oculos rectos, acres, immotos, & in judicando non flexibiles tribuit. Hesiodus autem eandem appellat *Virginem*, quæ corrumpi se violarique non patitur. Nobis & potioribus est virtus, inclinans eum, qui communitati præest, ad bona communia partibus ex debito distribuenda.

45. Dixi I. *virtus*; & quidem, ut omnes facile concedent, specialis: ut enim affectus privatus, qui frequenter in promotionibus & distributionibus bonorum communium inreperere solet, excludatur, & unicus respectus ad merita & qualitates subditorum habeatur, specialis est difficultas, pariens habitum novum & novam virtutem.

46. Dixi II. *inclinans eum, qui communitati præest.* Adeoque justitia distributiva non reperitur in quolibet Republicæ membro, sicuti Legalis, sed in Principe tantum, communitate, vel ea, qui communitatem regit, reidet: quemalmodum enim is solus est, qui communia distribuit bona; ita solus est, qui justitiam distributivam exercet. P. Pettichacher *de Fure in communi cit. append. 2. q. un. art. 2. §. 2. conclus. 1.*

47. Dixi III. *bona communia.* Per bona communia intelliguntur illa, quæ quidem in bonum communitatis sunt destinata, uni tamen vel alteri de communitate assignari debent; cujusmodi sunt officia publica, honores, dignitates, beneficia tam Ecclesiastica quam secularia &c. Onera vero publica, membris Republicæ, nolentibus etiam & invitis imponi solita, propius ad justitiam legalem quam distributivam pertinere videntur. Quamquam in eo sensu, ut servetur justa proportio, nullusve subditorum ultra fas & æquum oneribus & contributionibus gravetur, ad justitiam commutativam ejusmodi onera revocet Haunold *cit. 11. 2. n. 109.*

49. Dixi IV. *partibus.* Ad hoc enim, ut officium v.g. alicui ex justitia distributiva conferri dicatur, requiritur ex parte recipientis jus aliquod ad tale officium, cujusmodi jus non competit alteri, quam parti communitatis. Unde si quispiam extraneus, licet cæterisquin dignissimus, ad simile officium promoveretur, ista promotio non actus justitiæ sed liberalitatis dicenda foret. Haunold *cit. l. n. 108.*

61. Dixi V. *ex debito distribuenda.* Itaque justitia distributiva fundatur in debito, quod afficit communitatem, ut bona communia membris idoneis & commercis distribuatur. Quod ipsum tamen sibi non est rigorosum ac strictum, hoc ipsò, quod partes à communitate non sint adequatè discretæ, & dignitas v.g. quæ confertur, non habeatur

jure proprio, nec possit in utilitatem propriam administrari. Est igitur jus improprium & de congruo, quod fundatur in majori vel minori dignitate unius membri communitatis præ altero, quantumvis communitas vel illius præses non pro libitu sed necessariò tenetur in promotionibus ad qualitates subditorum respicere, & quos ampliora conspiciat habere merita, cæteris præferre, vel ad ampliora dignitatum culmina evehere. Ex quo relucet intimum & essenziale discrimen inter justitiam distributivam & commutativam, dum hæc non illa fundatur in debito rigoroso & stricto, supponitque perfectam alteritatem inter creditorem & debitorem. Pettichacher *cit. append. art. 2. §. 2. coll. 2.*

Complures, quibus ad illud illustrandum Reding *de F. & F. cit. q. 1. opt. 1. contr. 2. n. 4.* & Sant Gallenses *cit. l. q. 5. concl. 3.* distinguunt justitiam distributivam à commutativa in eo, quod illa proportionem arithmeticam, illa proportionem geometricam observet. Est autem proportio arithmetica nihil aliud quam æqualitas quantitatum, seu commensuratio rei ad rem, qualis est in duobus numeris binariis, veluti si creditori debeas duos florenos, & totidem solvas. E contra proportio geometrica est æqualitas proportionum, requirens quatuor terminos, seu comparatio quatuor terminorum ad invicem, veluti si comparetur numerus novenarius ad senarium, & senarius ad quaternarium, dicendò: sicuti comparantur novem ad sex, ita sex comparantur ad quatuor: ut proinde, si in communitate Petri merita comparative ad merita Pauli habeant se tanquam novem ad sex, debeant in distributione officiorum eum simili excessu coronari.

Sed Haunoldus *cit. 11. 2. n. 94.* unà cum cæteris aliis non vult agnoscere mox declaratum discrimen: quia nec justitia distributiva semper observat proportionem geometricam, nec commutativa arithmeticam: nam, si vel unum duntaxat officium vacet in Republica, vel unus tantum, qui dignus sit, invenitur, ob defectum quatuor terminorum in collatione nequit haberi proportio geometrica. Similiter si Titius plures habeat creditores, nec omnibus satisfacere valeat, ex justitia commutativa debet omnibus solvere, non secundum proportionem arithmeticam (quia non redditur tantum, quantum debetur) sed secundum proportionem geometricam, reddendò v.g. ei, cui 100. debentur, quinque-ginta; & ei, cui 50. debentur, viginti quinque solvendò.

Quod si respondeas, in allatis exemplis per accidens esse, quod debita proportio servari non possit. Revertitur Haunoldus *cit. l. n. 96.* rationem specificativam unius virtutis ne quid per accidens alteri virtuti convenire possit.

- 71 Itaque cum P. Rosiner *cit. l. n. 3.* & D. Gletle *Jurisprud. fundament. d. lib. 1. tit. 1. cap. 5. §. 6. n. 11.* dicendum arbitror, esse quidem ordinarium & naturale, ut justitia distributiva proportionem geometricam, & commutativa arithmetica attendat, prout ex Aristotele eruditè demonstrat Eminentiss. Aguirre *Phil. mor. d. l. 5. cap. 3. n. 12. & seqq. & cap. 4. n. 3. & seqq.* non autem essentiale.
- 72 Utrum ex violatione justitiæ distributiæ confurgat obligatio restitutionis? Deducendum est ex *num. 42.* ubi statuimus, ex sola justitiæ commutativæ violatione restitutionis obligationem profuere. Ratio vel confirmatio hujus deductionis est: quia, tametsi

quis dignior sit altero, qui sublimatur ad partem vacantem; attamen cum jus proprietatis & strictè dictum ad ejusmodi partem non habeat, potest quidem conueniri, prælationem personæ minus dignæ fuisse injustam, læsionem tamen & violationem juris læsi præterire non potuit.

Planè quòd verò jus cuique suum non tribuitur, non soluitur obligatio, sed virtute justitiæ commutativæ præcipitur restitutio, seu satisfactio, vel redintegratio juris læsi. Hæcque restitutio Theologis multum faceffit negotii; eamque, brevitatis studio, triplici ex radice vulgò descendere volunt, nimirum ex injusta acceptione, ex re accepta, & ex contractu. *Sub injusta acceptione* comprehenditur omnis damnificatio, quæ quis alterum in quacunqueret per culpam (saltem Theolo-

§. III.

De Justitia Vindicativa.

- 75 Inter species Justitiæ III. numeratur *Vindicativa*, quæ nomenclaturam sumit à dictione seu dictione & impositione vindictæ; diciturque virtus, inclinans eum, qui communitati præest, ad pœnam condignam delictis imponendam.
- 76 Dixi I. est virtus. At quaeritur, an specialis sit virtus? Ubi contra non paucos resp. quòd sit. Sant-Gallenfès *Curs. Theol. cit. to. 5. tr. 4. q. 5. sub Quæres II.* Magnif. P. Petschacher *cit. l. 27. tit. 2. §. 3. concl. 1.* Ratio est: quia justitia vindicativa, præterquam quòd annexam habeat singularem difficultatem, agnoscat aliud objectum formale proximum, quàm reliquæ species, honestatem nempe, quæ cernitur in noxiis & noxiis puniendis. A vera tamen justitia longiori distat intervallò, quàm justitia legalis & distributiva: siquidem ex parte delinquentis, cui administratur, non exigit jus activum ad pœnam, (hic enim magis abhorret, quàm expetit supplicium) sed obligationem, pœnam legitime dictam sustinendi, præsupponit. Ex parte punientis equidem prærequiritur jus puniendi; sed illud nec ordinatur in utilitatem punientis, nec, si pœ-

na sit vindicativa, in commodum puniti, sed principaliter in salutem Reipublice dirigitur.

Dixi II. *inclinans enim, qui communitati præest.* Ad hocque subjectum justitiæ vindicativæ non est quodlibet Reipublicæ membrum, sed membrum imperans & præsidens: nec enim concedet, ut privatorum quispiam in alterum vindice gladio vel manu deiciat, sed, ut auctoritate publicæ de scelere vindicta sumatur, boni publici necessitas exposcit.

Dixi III. *ad pœnam condignam delictis imponendam.* Censetur autem condigna delicto pœna, quando est culpæ proportionata, seu quando in eo gradu punitur delinquens, in quo gradu verifatur illius malitia. Nam æquitas aut æqualitas haud finit, ut vel major vel minor sit vindicta, quàm antecessens vindictæ causa.

Unde probabilior nobis est sententia, in *tom. 3. lib. 5. tr. 1. de Delictis in genere* reassumenda, quòd justitia vindicativa non geometricam sed arithmeticam proportionem attendat, tantumque cruciatum infigere, maleficis labore, quantum in se vel circumstantiis maleficium erat. Gletle *Jurisprud. fund. cit. l. §. 7. n. 10. & seqq.*

§. IV.

De Justitia Commutativa.

- 83 Inter species Justitiæ IV. statuitur *Commutativa*, ab eo, quòd locum & regimen tenet in commutationibus, contractibus, & commerciis humanis, sic nominata; quæ est virtus, inclinans partes communitatis ad jus suum cuique tribuendum. Consequenter definitio justitiæ, superius in *num. 7. & seqq.* allata & explicata, propriè convenit justitiæ commutativæ.
- 84 Dixi igitur I. *virtus*, utique specialis & ad eò nobilis, ut sola rationem perfectæ justitiæ, juxta principia, à nobis à *n. 17.* adstructa, ex æquo sibi vindicet.
- 85 Dixi II. *inclinans partes communitatis.* Nec distincti, quales sint partes, imperantes an obtemperantes, consules aut cives, Reges & Principes, vel rusticè & subditi: omnes nam-

que, non habita conditionis aut status consideratione, reddere tenentur alteri, quòd suum est.

Ut proinde, si communitati ipsammet aut Magnatum aliquis quidpiam homini privato promittat, aut aliò modò se obliget, ex justitia commutativa promissioni vel obligationi satisfacere obstringatur.

Dixi III. *ad jus suum.* Atque hoc est illud, quod constituit objectum formale justitiæ, tenens se ex parte creditoris activè tribuensque facultatem efficacem exigendi, quòd sibi debetur; at ex parte creditoris se tenens passivè, & obligationem eidem imponens, præstandi, quòd debet.

Dixi IV. *cuique tribuendum.* Ubi denuò nulla fit distinctio inter personas, sive sint partes communitatis, sive extraneæ: nam, licet

in extraneis justitia legalis, distributiva, vel vindicativa locum non invenit, invenit tamen justitia commutativa, ceu regula societatis & commercii humani, quòd non minus in civitate propria quàm extra civitatem exerceri consuevit.

- 89 Casu quòd verò jus cuique suum non tribuitur, non solvitur obligatio, sed virtute justitiæ commutativæ præcipitur restitutio, seu satisfactio, vel redintegratio juris læsi. Hæcque restitutio Theologis multum faceffit negotii; eamque, brevitatis studio, triplici ex radice vulgò descendere volunt, nimirum ex injusta acceptione, ex re accepta, & ex contractu. *Sub injusta acceptione* comprehenditur omnis damnificatio, quæ quis alterum in quacunqueret per culpam (saltem Theolo-

gicam) lædit. *Sub re accepta* venit res aliena, ab aliquo formaliter aut æquivalenter, sed injustè, detenta. *Sub contractu* intelligitur obligatio, in gratiam alterius ex conventionne contracta. Vid. Magnif. Petschacher in *Opus. de Jure in commun. & in spec. Append. 1. q. un. art. un. per 101.* Jurisperiti reipsà quidem à Theologis non dissentiunt; alium tamen loquendi modum usurpant. Vel enim, inquit, læditur jus alterius reale, vel personale. Si reale, vel res ipsa, vel in ejus defectum æstimatio est præstanda. Si personale, tunc læsio contingit vel in contractu aut quasi; vel ex delicto aut quasi. Utrovvis tamen contingat modò, pro restitutione dandum aut supplendum est, quòd debetur.

SECTIO III.

De Objecto Jurisprudentiæ Canonico-Civilis.

SUMMARIA.

- 92 Attingitur objectum Jurisprudentiæ. 93. & seqq. Objectum materiale sunt actiones hominum. 95. & seqq. Formale est justitia universalis. 99. & seqq. Adequatum est actio humana iustitia. 101. & seqq. Jurisprudentia Canonica pro objecto materiali desiderat actiones quodammodo spirituales. 105. & seqq. Pro formali justitiam Christianam. 107. Pro adequato actionem

Christianam iustam. 108. & seqq. Illius distinctio à Theologia Morali notatur. 110. Jurisprudentia Civilis pro objecto agnoscit actionem politicam. 111. & seqq. Adducuntur & reselluntur objecta. 116. Pro objecto formali requiritur justitiam politicam. 117. Pro adequato habet actionem politicè iustam.

§. I.

De Objecto Jurisprudentiæ in genere.

- 92 Justitiæ bilancis Juris tantisper impostæ, perspicimus nunc objectum Jurisprudentiæ. Hoc aliud est materiale, aliud formale. De utroque varia DD. placita citat & refutat D. Braun de *Jurisprud. in gen. & in spec. cap. 1. §. 4. & 5.* Ego mox sententiam meam aperio, &
- 93 Dico I. Objectum materiale Jurisprudentiæ sunt actiones & negotia humana. D. Braun *d. §. 4. n. 5.* D. Gletle *Jurisprud. fund. cit. 1. cap. 2. §. 3. num. 1.* Ratio est: quia Jurisprudentia, tanquam habitus practicus, id unice curat, ut actiones hominum juxta Leges & regulas honestæ operationis dirigantur, ut liquet ex *cap. 1. num. 2.* Ergo actiones hominum, prout dirigibiles ad justitiam, sunt materia seu objectum materiale, circa quòd Jurisprudentia proximè verifatur.
- 94 Dico II. actiones humanæ vel sunt justæ, vel injustæ? Si justæ sint, non egent ulteriori justitiâ. Si injustæ supponantur, justæ fieri non possunt, ex notissimo verberio, quòd factum infectum fieri nequeat.
- 95 Dico III. actiones tum justas, tum injustas à Jurisprudentia considerari: illas quidem, ut conserventur; has autem, ut puniantur, & in melius reformentur.
- 96 Dico IV. objectum formale Jurisprudentiæ est justitia, quoad omnes species considerata.

Braun *cit. l. §. 5. n. 2.* Gletle *cit. l. §. 2. n. 2. & §. 3. n. 3.* Ratio prioris partis est: quia finis & objectum formale dicitur in scientiis practicis coincidere. Sed finis Jurisprudentiæ non est alius, quàm ut homines efficiantur justii, & quilibet alteri, quòd suum est, reddat. Ergo justitia est objectum formale Jurisprudentiæ. Ratio posterioris partis est: quia Jurisprudentia non tantùm connititur, ut actiones hominum sint justæ per justitiam commutativam inter privatos quæ tales, sed conatum suum exferit, ut per justitiam legalem partes communitatis actiones suas referant in bonum commune; & per justitiam distributivam præmia secundum merita, per justitiam autem vindicativam juxta demerita pœnæ decernantur. Alioquin enim nec ipsa justitia commutativa inter privatos salva consisteret, nisi ceteræ species, tanquam vinculum & nexus communitatis, in auxilium venient.

Dico III. Objectum adequatum & totale Jurisprudentiæ est actio humana iusta. Gletle *cit. §. 3. num. 4.* Ratio est: quia, si actionem humanam cum justitia conjungas, habes objectum materiale simul & formale. Atqui objectum materiale conjunctum formali nuncupatur objectum adequatum & totale. Ergo &c.

§. II.

De Objecto Jurisprudentiæ Canonice.

- 101 **D**ico I. Jurisprudentiæ Canonice objectum materiale sunt actiones humanæ aliquatenus spirituales. *Gibalinus Scientia Canon. lib. 1. cap. 2. q. 1. per tot. & lib. 5. q. 2.*
- 102 **R**atio est: quia in Jure Canonico nihil aliud præcipitur aut prohibetur, nisi quod deservit ad finem supernaturalem, ut nempe vel eundem actibus imperatis assequamur, vel impedimenta, quò minus assequi possimus, removeamus: consequenter, actus sic imperati vel prohibiti, ut proportionem habeant cum fine, debent aliqua ratione spirituales & supernaturales esse. *Confirmatur. Justitia Christiana & supernaturalis non potest introduci in actiones alias quàm Christianas, & sub modo supernaturales. Ergo actiones humanæ, prout dirigibiles ad eandem justitiam, supernaturalitatem quandam habeant, necessum est.*
- 104 **N**eque dicas: in Jure Canonico permulta tractari, quæ spiritualia non sunt, v. g. testamenta, contractus, judicia &c. Nam etiam, quæ profana videntur, non tractantur aliter à Jure sacro, quàm sub respectu & relatione ad finem spiritualem, quatenus temporalia debemus ita curare, ut aeterna non amittamus.
- 105 **D**ico II. Jurisprudentiæ Canonice objectum formale est justitia Christiana universalis, seu conformitas actionum humanarum cum Legibus & regulis Ecclesiasticis. *Ratio est: quia Jurisprudentia Canonica per SS. Canones, Leges, & regulas Ecclesiasticas hoc unice querit, ut actiones hominum Christianorum illis conformentur, & præmiis supernaturalis reddantur capaces. Quare justitia Christiana universalis rectè vocatur objectum formale Jurisprudentiæ Canonice.*
- 107 **D**ico III. Jurisprudentiæ Canonice objectum adæquatum & totale est actio justa Christiana seu spiritualis. *Ratio est: quia in hoc, ut actio fiat justa, non quomodocunque, sed modo Christianò & spirituali, tota Jurisprudentiæ Canonice sollicitudo desudat.*
- 108 **S**i opineris: hoc ipsum objectum totaliter attingi à Theologia Morali. Non erras. Notare tamen oportet, illud objectum attingi sub alia ratione à Theologia Morali; sub alia à Jurisprudentia Canonica. *Illud quidem actionem humanam contemplantur, quatenus præcisè conducit ad salutem hominis Christiani. Hæc eandem actionem dirigit, prout ordinatur ad salutem totius Ecclesiæ, quatenus est corpus quoddam mysticum, in unitate Sacramentorum & fidei sub uno Capite, Summo Pontifice, congregatum.*

§. III.

De Objecto Jurisprudentiæ Civilis.

- 110 **D**ico I. Objectum Jurisprudentiæ Civilis sunt actiones hominum, ad felicitatem politicam accommodatæ. *Ratio est: quia similes actiones sunt media ad consequendum objectum formale & finem Jurisprudentiæ Civilis.*
- 111 **D**ices I. objectum materiale esse res Divinas & humanas juxta *l. justitia 10. §. 1. ff. de F. & F.* ubi Jurisprudentia Civilis describitur, quòd sit *rerum Divinarum atque humanarum notitia.*
- 112 **R.** res Divinas & humanas esse objectum Jurisprudentiæ remotum, non proximum; proximum verò censerè actiones, quæ plerumque circa res humanas & subinde Divinas versantur.
- 113 **D**ices II. objectum materiale proximum non tantum esse actiones sed etiam personas & res juxta *§. ult. Inst. de F. N. G. & C. & l. omne Jus 1. ff. de Stat. hom. ibi: omne Jus, quòd videtur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.*
- 114 **R.** in citatis locis non agi de actionibus, rebus, & personis, quatenus sunt objectum Jurisprudentiæ Civilis, sed quatenus reputantur summa illius capita vel partes, ad quæ omnia cætera, de quibus agitur in Jure Civili, possunt reduci. *Nempe, ut scribit D. 115 Braun de Jurisprud. in gen. & spec. cap. 1. §. 4. num. ult. Persona sunt, quæ exercent actiones humanas; Res, circa quas exercentur; Actiones, per quas exercentur justitia obtinetur, & conservatur.*
- 116 **D**ico II. Objectum formale Jurisprudentiæ Civilis est justitia politica, seu conformitas actionum politicarum cum LL. Civilibus. *Ratio est: quia per Jurisprudentiam Civilem intenditur conformitas actionum politicarum cum LL. Civilibus: sicque talis conformitas seu justitia politica est finis & objectum Jurisprudentiæ Civilis.*
- 117 **D**ico III. Objectum adæquatum & totale Jurisprudentiæ Civilis est actio politicè justa seu actio politica, Legibus Civilibus commensurata. *Ratio est: quia, quidquid in Jure Civili traditur, in actione, Legibus Civilibus commensurata, adæquatur & concluditur.*

CAPUT III.

De Interpretatione & Regulis Jurisprudentiæ.

Jurisprudentiam aut mortuam, aut emarcidam esse, nisi prudentiam interpretatione juvetur & animetur, luculenter expressit Iustus Pomponius in *l. necessarium 2. §. 13. ff. de O. J.* Jura siquidem non solà tenentur memorià, sed ratione potiùs, tanquàm animà, per interpretationem comprehendì debent per *l. scire 17. ff. de LL. ibi: scire Leges, non est verba earum tenere, sed vim & potestatem.* Eapropter necessarium duximus, ut tractatum nostrum præambulum, in gratiam Juris studiosorum, interpretatione Jurisprudentiæ claudamus; *Regulas Juris*, quæ cum titulo de *Verborum significatione* in fine Corporis Juris ponuntur, tanquàm præcognita multum utilia, connectentes.

SECTIO I.

De Interpretatione Jurisprudentiæ.

SUMMARIUM.

1. Describitur interpretatio. 2. & seq. Authentica declaratur. 4. & seq. Exponeitur simplex. 7. Comprehenfiva. 8. Extensiva. 9. Restrictiva. 10. & seq. Interpretatio pro objecto habet verba. 12. Explicatur verbum. 13. & seq. Illius varietas adstruitur. 19. Sensus affirmativus & negativus apponitur. 20. & seq. Verba subinde dispositivè, subinde enuntiativè ponuntur. 22. Significatio propria est multiplex. 23. Naturalis. 24. & seq. Civilis. 26. Usualis. 27. Impropria deservat.

§. I.

De Interpretatione Juris in genere.

- 1 **I**nterpretatio, quatenus Jureperitis & Jurisprudentiæ deservit, est genuina Legis alicujus explicatio vel declaratio, juxta eam significationem, quam intendit & proposuit Legislator.
- 2 **D**ividitur in Authenticam & Doctrinalem. *Authentica* vel est Legalis vel usualis. *Legalis* dicitur, quæ per expressam Legem Legis anterioris sensus à Legislatore, superiore, vel successore explanatur. *Usualis* appellatur, quæ ex usu & consuetudine seu observantia Legis sententia colligitur.
- 3 **D**octrinalis subdividitur in simplicem & modificatam. *Simplex* vocatur, quæ simpliciter & de plano, ut ajunt, verba, prout jacent, in vera significatione exponuntur.
- 4 **H**anc alii *liberalem* aut *verbalem* appellant, ac cum Legi nihil de novo superaddat, à natura genuina interpretationis paululum declinare volunt cum Fagnano in *cap. quoniam de Constitution. num. 19.* At eam solam de legitima & stricta interpretatione participare, cum Bartolo adstruit Suarez de *LL. lib. 6. cap. 2. n. 1.* *Modificata* vel est comprehensiva, vel extensiva, vel restrictiva. *Comprehenfiva* est, quæ id omne, quòd vocabuli proprietate comprehenditur, intelligitur, licet explicitè non fuerit positum. *Extensiva* est, quæ à dispositio, quoad terminos angusta, ad objecta vel subiecta nova, personas, aut res, extenditur. *Restrictiva* est, quæ locutio, cæteròquin generalis, ad objecta vel subiecta pauciora, personas, aut res cordata tur. Videatur cæterus Suarez *cap. 2. & seq.*

§. II.

De Verbis.

- 10 **I**nterpretatio non habet objectum immediatum, quàm verba. Cum enim intentio, mens, & cogitatio hominis, velut intratebras & penetralia cordis inclusa, non alià clave, quàm verbò, securè referretur: utique non aliud objectum habebit interpretatio Legis, quàm verba, à Legislatore in promulgatione Legis adhibita. Et licet interpretatio non spectentur verba sed mens & intentio Legis: attamen ipsa mens & intentio non potest considerari nisi ex verbis Legislatoris, juxta illud D. Hilarii in *cap. intelligentia 6. de Verb. signif. intelligentia dicitur ex causis esse assumenda: quia non sermone res, sed rei est sermo subiectus.* Suarez de *LL. cit. lib. 6. cap. 1. num. 14.*